

congruentem suis temporibus generi humano exhibere medicinam. Nec mirum est, quod dantur praecepta majora propter regnum coelorum, et minora data sunt propter regnum terrenum, ab eodem uno Deo, qui fecit caelum et terram. De hac ergo justitia, quae major est, per Prophetam dicitur: *Justitia tua sicut montes Dei: et hoc bene significat, quod ab uno magistro, solo docendis tantis rebus idoneo, docetur in monte.*

R. O beati viri Bonifacii sancta praeconia, o inestimabilis dilectio Charitatis, qui dum mortem Martyrio pertulit * Aeternae vitae conjunctus est. (temp. pasch.) Alleluja.

V. Cui vivere Christus fuit, et mori lucrum. Aeternae. Gloria Patri. Aeternae.

(Bened.) Ad societatem.

Lectio IX.

Sedens autem docet, quod pertinet ad dignitatem magisterii. Et accedunt ad eum discipuli ejus, ut audiendis illius verbis hi essent etiam corpore viciniore, qui praeceptis adimplendis etiam animo appropinquabant. Et aperiens os suum docebat eos, dicens. *Ista circumlocutio, qua scribitur: Et aperiens os suum, fortassis ipsa mora commendat aliquanto longiorem futurum esse sermonem. Nisi forte non vacet, quod nunc eum dictum est aperuisse os suum, quod ipse in lege veteri aperire soleret ora Prophetarum. Te Deum laudamus.*

Ad Laudes.

Antiph. O magnum misericordiae opus! ut Germanos ad veram fidem converteret Deus, sanctum Bonifacium omnibus instructum virtutibus iisdem destinavit Apostolum. (temp. pasch.) Alleluja.